

mantur tamen, intuitu oppositionis *ad idem* negotium, velut bini ex aduerso stantes: ac multitudo solum materialiter & per accidens habet sese. Esto id, *quantum* intererat singulorum in causâ communi, ab unâ parte simul militantium, non esse æquale; idem tamen *genere* negotii est. Sicut in Societate commercii singuli contribuentes dispari summâ, cuncta tamen ad idem propositum conferunt. Atque hoc de *Principalibus ac Notoriis Partibus* accipitur.

§. 2. Sunt præterea alii, qui partibus principalibus sese velut occulunt & applicant, & hinc commodè dici possunt *Tecti*: qui cum fuerint in tempore præpacati & compositi, res cum principalibus commodius procedere solet, quàm si eis neglectis tentetur; puta, *agnati, socii alius in causis, ministri, & quisquis Principalium ac verarum Partium statum privatum, animumque suo facto alienare possit à conventionem propositâ*. Atque id non sine ratione pollicitâ felicius fieri posse videtur; Principumq; privatum statum sæpissimè exposcere, nullum dubium est. Sic Mariæ Stuartæ Parens Scotiæ Regens, Gvisianis obstantibus clanculum, nec cum Civibus nec cum Anglis pacem tueri poterat: Et Ludovicus XI. captabat maximè Anglos *proceres*, ne Regem suum contra se obfirmarent, Vid. Cominaum. Gallica Catharina Medicæa filios pro libidine jam incitabat ad bellum, jam aversum ibat. Idque fatum regibus incumbere, nil mirum est, cum epidemicus affectus sit hominum; ac rarò existat, quem non id genus Admissio-narii, Ministrissimi, Consultores circumagant, trepiditate animorum vulgatâ, proprio iudicio pauca statuendi, statuta per affectum obrepentem invertendi.

§. 3. Sunt verò & alia, quæ in Partibus, ut eas suo studio *Mediator* verset, præparata velit: Ut i. *Disparitas*, partim *dignitatis*, ne cum tali sese tanto opere conciliari videri velit eminentior: partim *juris*, ut si cum Rebelli negotium sit. Sic